
DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
PULSU ARTERIARUM.

7

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
PULSU ARTERIARUM;

QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,
D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

PRO
GRADU DOCTORIS,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT
JACOBUS BUTCHER,
BARBADENSIS,

SOCIET. GUIB. PHYS. LOND. SOC. ORD.
SOCIET. REG. MED. EDIN. SOC. EXTRAORD.

“ Cor tibi ritè salit ? ”

PERS.

Prid. Idus Septembris, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:
EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

1803.

Digitized by the Internet Archive
in 2020 with funding from
Wellcome Library

VIRIS HONORABILIBUS,
CHEESMAN MOE,
CONTROVERSARUM INTER CIVES RERUM
IN INSULA BARBADENSI
JUDICI INTEGERRIMO;
ET
MILESIO BRATHWAITE,
BRITANNIARUM REGI
A PRIVATO CONCILIO,
DOMESTICÆ BARBADENSIS MILITIÆ
LEGATO IMPERATORIO;
TAM PRIVATIS, QUAM PUBLICIS
VIRTUTIBUS
CONSPICUIS;
HANC DISPUTATIONEM,
OBSERVANTIÆ, ET ANIMI
BENEFICIORUM MEMORIS,
MONUMENTUM,
SACRAM
VULT
JACOBUS BUTCHER.

JACOBUS BUTCHER

AMICO CARISSIMO

SAMUELI ROUS MOE,

BARBADENSI,

S.

TE, carissime amice, meliorem, cui opusculum dedicem, ignoro. Internatam puerilibus annis amicitiam, adultâque ætate auctam, matura ætas usquè adedò confirmavit, ut nihil eam, nisi mors, omnium deletrix, possit dissolvere. Diù vivas, et floreas. Cursum, quem, tuorum caritate motus, inivisti, diù sapienter strenuè-que teneatis, amicis pariter, pariterque familiaribus carus et acceptus. Cura, mi suavissime amice, ut valeas, tibi que persuadeas, mihi te neminem cariorem. Ut memor sis mei, et, modò merear, valdè ames, vehementer te rogo. Vale.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

PULSU ARTERIARUM.

PRO O E M I U M.

§ I. **E**X quo tempore homines cœperunt
medendi scientiam subtiliter ex-
colere, artemque exercere, medici insuêrunt
observare, quàm commoda sit figura et situs
membrorum; quàm mirabiles ossium com-
missuræ, ad stabilitatem, pariter ac motum,
et actionem aptæ; quàm multiplex arteria-
rum, venarum et nervorum implicatio et dis-
tributio; quantus partium inter se consensus;
quanta cujusque partis ad omnium valetudi-

A

nem

nem conservandam aptitudo: haud ignari, singularum partium, earumque actionum et usûs notitiam, non solùm ad naturam morborum cognoscendam plurimùm conducere; sed etiam ad rationem malorum intelligendam, quibus hi mortales afficiant.

II. Sed, uti non omnes æqualiter partes corporis vitales atque nobiles sunt, ita medici non ad omnes æquè cognoscendas studium convertebant; sed quisque ad eas maximè, quæ cognitu utilissimæ videbantur. Vetustissimi medici, in ventriculi conditione et actionibus cognoscendis, multam operam et curam ponebant. Quinetiam, ut ex eorum scriptis apparet, accuratissimè observabant, tardane esset alvus, an cita; quæ stercoris copia et qualitates; quantam qualemque urinam secernerent renes; siti, necne, fauces arescerent; numne arida esset cutis, an insudaret; utrùm calor corpus, an horror percurreret.

III. Non

III. Non tamen his solis credebant. Namque, tametsi nescirent, sanguinem, per arterias, in omne corpus distribui, quò omnem partem aleret, foveret, et reficeret; tamen, ut à HIPPOCRATE colligimus, haudquaquàm insolitum erat animadvertere, et admotis digitis explorare, numne, quoque in morbo, ægri arteriæ submitterent se, an attollerent, et æquis, necne, intervallis moverentur.

IV. Post HIPPOCRATEM, HEROPHILUS fertur, animum ad pulsum attendisse, sed leviter pro rei magnitudine. CELSUS, etiamsi de eo quædam aptè dixerit, ei tamen non multum credebat; quippe quem non solùm stomachi infirmitas, et sol, et balneum, et exercitatio, et metus, et ira, et sollicitudo ægri dubitantis, quomodò medico ejus carpo manum admoventi se habere videretur, et quilibet alius animi affectus, sed etiam mille aliæ res, facilè turbarent*.

v. Omnium

* Vid. CELS. *De Medicin.* lib. III. cap. VI.

v. Omnium autem veterum scriptorum copiosissimè de pulsu disseruit GALENUS. Quanquam varietates subtiliter, ultrà quàm satìs, descripsit, recentiores tamen scriptores inducti sunt ejus exemplo, ut ad pulsum arteriarum animos adverterent ; atque, veris et utilibus secretis, ex ejus ubertate atque redundantia fructus haud contemnendos perceperunt.

vi. Sed, motu sanguinis ex corde per arterias in venas, atque reditu per has denuò in cor, nondùm cognito, medici vel peritissimi nesciebant, quantùm interesset explorare, naturaliter, necne, arteriæ ordinarentur. Tandem autem, sic enim voluerunt Dii, ortus HARVEIUS est ; et non solùm irrequietus et mirabilis sanguinis circuitus, sed alia etiam plurima, in animalium corporibus incognita eatenùs, aut obscura, eluxerunt.

vii. Mirabili et mirifico quidem sanguinis motu cognito, itemque fabricâ et usibus cerebri

rebri et nervorum, medicis, valetudinis et morborum rationem cognoscendi studiosis, brevi apparuit, quanti esset, cùm in prospera valetudine, tum in adversa, animadvertere, quemadmodùm moverentur arteriæ; quippe quarum motibus nihil meliùs certiùsque ostenderet, quâ in valetudine mortales versarentur.

VIII. Auctores igitur, qui non solùm structurâ singularum corporis partium monstrandâ, sed etiam illustrandâ valetudinis et morborum ratione, medendi scientiam amplificârunt et subtiliter excoluerunt, ut duces, sequemur; atque ex eorum scriptis excerpemus, quæ ad rem nostram pertineant.

PARS

PARS PRIMA.

Præfanda quædam de arteriarum motibus.

IX. PRIUS verò, quàm cæteras rei nostræ partes aggredimur, considerabimus, numne, ut HEBERDENUS primùm contendit, et post eum FALCONERUS, arteriæ nullâ re, nisi crebritate motuum aut raritate, morborum naturam indicent, et rationem quâ sanentur. Quoniam enim hi auctores de medicina optimè meritî sunt; et utrique de re, quam persequimur, scriptis disseruerunt, at fusiùs, clariùs et utiliùs FALCONERUS: nobis non consilium est, opinionem communi medicorum sensui contrariam, quam scriptis proposuerunt, silentio præterire; sed, ut verum cognoscendi studiosos decet, radicitùs excutere, dein animo judicare, accipienda sit, an rejicienda.

x. Quò

x. Quò perspiciamus, vera, necne, horum auctorum opinio sit, res ipsa poscere videtur, ut consideremus, quæ et quales partes sanguinem à corde in corpus distribuunt, distributumque ad cor conducant. His enim incognitis, res controversa dijudicari non potest.

xI. Cor, uti nunc inter omnes satis constat, sanguinem ex sinistro ventriculo, per magnam hinc profectam arteriam, in omne corpus diffundit; undè, per venas cavas, quæ in duos demùm truncos coëunt, conductum recipit in dextram auriculam: à ventriculo verò dextro, per arteriam hinc ductam, in pulmones distribuit; undè, per venas conjugas, quæ in quatuor demùm truncos confluent, confusum recipit in auriculam sinistram. Per hæc vasa, quorum, ut diximus, nonnulla à corde in corpus diffundunt, alia diffusum denuò confundunt in cor, sanguis,
dum.

dum manet vita, irrequieto circuitu movetur.

xii. Arteriæ autem, à corde quoquoversum pertinentes, per quas sanguis in totum corpus distribuitur, sunt tubi teretes, carnosì, pulsantes, resilientes, sentientes; qui, uti cætero corpori nutrimentum suppeditant, et in id nervos introducunt, ità ipsi minutis *arteriolis* et *nervulis* instruuntur, undè nutrimentum et sensum accipiant.

xiii. Carnosæ arteriarum fibræ omnes, vel saltem longè earum pleræque, in circuitum distribuuntur, non integros tamen circulos, sed exiguos tantummodò arcus, cursu describentes. Quo fit, ut arteriæ singulis contractionibus, ab omni simul æqualiterque ambitu, proprium axem versus, sese angustent; et sic sanguinem expeditiùs æquabiliùsque diffundant, quàm integris fibrarum circulis diffundere potuissent.

xiv. Nonnulli

XIV. Nonnulli controversiam de arteriis moverunt, vine se contrahendi polleant; an tantummodò resiliendi, postquàm sanguine in eas à cordis ventriculis impulso dilatatae sunt *. Hanc quoque controversiam censemus priùs dirimendam esse, quàm cum adversariis, ingenio tam claris, cominùs congregiamur.

XV. Arterias non resiliendi modò, verùm se contrahendi quoque, potentiam possidere, idcirco credimus: quòd persectæ cujuslibet arteriæ excisa pars, stimulo admoto, sese contrahit: quòd, in piscibus plurimis, magna arteria, quæ sanguinem in totum corpus distribuit, non ex cordis ventriculo ducitur; sed ex venâ, conjunctis branchiarum venis factâ: quòd cujusvis arteriæ, duabus partibus paululùm inter se distantibus ligatæ, intermedia pars se, per surculos intercurrentes, in vicinas arterias deplet: quòd, in iis monstris,

B quibus

* Vid. JOANN. HUNTER. *Treatise on the Blood.*

quibus deest cor, arteriæ, alieno nullo pulsu adjuvante, sanguinem in omnes corporis partes diffundunt: quòd, ut compertum est, arteriæ spatium ad copiam sanguinis, quam continent, semper accommodant; et, dum manet vita, semper sunt cylindraceæ: quòd, post mortem, cylindros non simulant; et capillaceæ earum extremitates ferè sunt inanes: quòd, quo longiùs à corde discedunt, eo plerumquè, pro magnitudine, carnosiores fiunt: denique, quòd in partibus inflammatis micant celeriùs, validiùs et duriùs, quàm in vicinis partibus sanis; in paralyticis, contrà, tardiùs, imbecilliùs et molliùs.

xvi. Quum itaque arteriæ musculosæ sint; et dilatatæ non solùm resiliant, sed etiam se contrahendi vim possideant: nobis haud dubium videtur, quin earum motus, haud secùs atque ii cæterarum partium musculosarum, aliis, præter crebritatem, à naturalibus differant; eoque minùs, quòd mille res sunt, quæ
aut

aut ipsas, aut ipsas per nervos et cor, plurimum turbent.

xvii. His præmissis, nunc considerandum est, firma, necne, sint argumenta, quibus probare aggrediuntur adversarii, quod ad arterias attinet, nihil esse, præter pulsum numerum, quod explorare, et explorato credere, medici debeant.

xviii. Contendunt auctores, à quibus dissentimus, præter numerum pulsum, nihil esse, quod arteriis tutò credant medici ; propterea quòd cætera, quæ ad eas attinent, sæpè fallunt. Nam, ut pergunt disserere, arteria *radialis* in carpo, ubi ictus numerantur, nec simpliciter nec comparatè omnibus eadem est ; et eundem pulsum aliis alii nominibus appellant medici. Ad hæc objecta paucis replicare, res poscere videtur.

xix. *Radialis* arteria positu minùs variat in diversis hominibus, quàm pro corporis
magnitudine

magnitudine et pinguitudine. Carpus, ubi pulsus explorantur, abundat *tendinibus* et ligamentis; neque, nisi in valdè obesis, tantum adipis continet, quantum errorem creet. Et, etiamsi in valdè obesis error accideret, neutiquàm sat esset; quamobrèm arteriis nihil crederent medici, præterquam quod ex pulsuum numero possent colligere.

xx. Secundum argumentum, quo inducuntur auctores, ut arteriis nihil credant, nisi quod possint colligere ex pulsuum numero, nihil firmitatis habere videtur.

xxi. Quantum enim cunque medici verbis discrepant, re tamen consentiunt, vi inflammationis urgente, arterias sic sanguinem mutare, ut ex vena emissus tardè concreseat, ejusque *fibrina*, à sero et globulis rubris dissociata, supernatet, corii albidi speciem simulans; et etiam, sanguine nondùm detractò, posse tamen prænosci ex sensu, quem admo-
to digito moveant exploratæ arteriæ, numne
detractus

detractus ex vena cunctantèr coiret, ejusque frigescentis *fibrina* albidum corium repræsentaret.

XXII. Quinetiam, id sanè quod eorum auctorum opinionem haud parùm infirmit, artèriarum pulsuum numerum plurimæ sanè res, sanâ valetudine, turbant; velut exercitatio, subiti animi motus, incitantia in stomachum devorata; imò etiam, ut comperit MACDONNELLUS, medicus BELFASTIENSIS, mutata positura corporis viribus vel alienis, qualesque non requirunt, ut proprii muscoli exercentur.

XXIII. Philosophiæ, porrò, parùm consentaneum est, concludere in universum, artèrias, quippe quæ sensu et irritabilitate præditæ sint, quasque tot turbent, duntaxat pulsuum numero variare posse.

XXIV. Huc accedat, quòd hujusmodi conclusio interdum medicum in malam curandi rationem

rationem ducat. Herniâ videlicet strangulatâ laborantis arteriarum motus, quamvis solito frequentiores sint, exiguissimi tamen sunt et obscuri; dum simul vires, mirum in modum, fatiscunt, id quod plûs satîs indicat vultus. At verò motus arteriarum, accuratiùs explorati, prætereà duri et contracti sentiuntur; et medici, hoc cognito, intelligunt, quâ ratione laboranti subveniatur. Quòd si motuum tantùm crebritati crederetur et debilitati, efficacissimum remedium negligenter medici, et miserum adducerent in summum discrimen.

xxv. CULLENUS, denique, quo in morbis cognoscendis et describendis accuratior nullus, arteriarum motuum varietates in morborum definitionibus non meminisset; nisi didicisset experientiâ, nihil esse, quo certiùs dignoscerentur morbi, cujusque notitia meliùs suggereret, quâ ratione sanarentur.

xxvi. In definitione *synochi* et *typhi*, inter alia signa his morbis propria, memorat arteriarum

riarum pulsus inter se diversos et contrarios. In illa febre dicit, pulsum esse validum et durum ; in hac, parvum et debilem. Sed non dicit, arteriarum pulsum semper frequentem esse, sed tantùm plerumquè.

xxvii. His cognitis et inter se comparatis, possumus concludere, valetudines corporis variare cordis et arteriarum motus, et horum motuum varietates indicare valetudines corporis ; ideoque alias arteriarum ictuum seu pulsum varietates esse, ad quas animadvertere debeant medici, præter crebritatem et raritatem.

PARS

PARS SECUNDA.*De arteriarum pulsum varietatibus.*

xxviii. JAM satis, putamus, supèrque ostendimus, alias arteriarum pulsum varietates esse, ad quas animos advertere debeant medici, præter numerum. Nunc exponemus quasdam manifestas varietates, de quibus convenit inter medicos. De obscurioribus autem, de quibus disseruerunt nonnulli auctores, malumus silere, quàm incerta parùmve profutura dicere.

xxix. Priùs verò, quàm dicimus, de morbidis arteriarum pulsum varietatibus, haud alienum erit pauca præmittere de iis varietatibus, quæ, in sanis hominibus, oriuntur ex
ætate,

ætate, sexu, et temperatione ; itemque quædam cursim animadvertere, quibus neglectis, ex arteriarum pulsu, quæ sit corporis valetudo, judicare non possumus.

PART.

C

PARTICUL. I.

De naturali arteriarum pulsu.

XXX. INFANTIS recenter nati arteriæ plerumquè adeò frequenter micant, ut earum ictus vix numerari possint. Sexagesimâ quâque horæ parte, à centies et trigesies, ut opinatur HEBERDENUS, ad centies et quadragies micant. Earum verò motus paulatim tardescunt ad septimum ætatis annum usquè ; ubi interdum, at rarò, haud frequentiores sunt, quàm solent adultâ ætate.

XXXI. Post duodecimum ætatis annum, arteriarum ictus variant numero, à sexaginta ad octoginta, sexagesimâ quâque horæ parte ; atque, nisi quòd incitatu faciliores sint, nihil differunt ab iis arteriarum adulti hominis.

XXXII. Sanorum

XXXII. Sanorum hominum arteriæ, ut opinatur FALCONERUS, à quadragesimo ferè quinto ætatis anno tardiùs micant, ad annum propè sexagesimum usquè; deinde, senectâ ætate, velut eæ tenerorum infantum, citatiùs moventur. Verùm confitetur tamen, hanc mutationem minimè perpetuam esse.

XXXIII. Fœminarum, quippe quæ corporibus deliciores sint atque mobiliores, arteriæ, cæteris paribus, crebriùs micant decem vel duodecim ictibus, sexagesimâ quâque horæ parte, quàm arteriæ marium, et multo faciliùs turbantur fortuitis causis.

XXXIV. Quinetiam, cæteris paribus, arteriarum motus quodammodò afficiuntur temperatione corporis. Quibus enim sunt capilli flavi, seu rutuli, et molles, oculi cœrulei, facies florida et pulchra, carnes mollicellæ et succidæ, ingenium acre et fervidum, eorum arteriæ sese citatiùs movent; quàm eorum, qui corporis constitutione melancholici sunt,

capillis

capillis oculisque nigris, facie pallidâ, fibris carnosis firmis et rigidioribus, propositorum tenaces, inceptis perficiendis perseverantes.

xxxv. Arteriarum, porrò, pulsus putantur variare, pro proceritate aut brevitate corporis. Nonnulli ideo inducti sunt, ut ità crederent, quòd, in animalibus vilioribus magnitudine corporis dissimilibus, arteriarum motus citatiores sunt aut tardiores, pro eorum exiguitate aut magnitudine. Sed, an, in humano genere, tali necne causâ variant arteriarum motus, nondùm certò sciunt medici.

xxxvi. Cæterùm, quòd, numeratis arteriarum motibus, medicus possit judicare de valetudine corporis, opus est, ut ad alias quasdam res animum advertat, quæ incitent vel retardent, quamvis minùs constantèr, quàm causæ, quas memoravimus.

xxxvii. Benè

xxxvii. Benè nunc cognoscunt medici, corpus humanum diurnum quasi cursum conficere, et aliis diei temporibus, alios esse arteriarum motus. BRYANUS ROBINSONIUS, varietatibus motuum accuratè observatis, tabulam confecit, ex qua inspecta apparet, arterias unius hominum cujusque se mane tardiùs movere, quàm aliis diei temporibus; et, post aliquot vicissitudines, citiùs, octo decemve pulsibus sexagesimâ quâque horæ parte, vespere micare, quàm mane.

xxxviii. An verò hæ varietates oriantur ex natura corporis, an consuetudine quam induxerit victûs et vitæ ratio, nondùm inter medicos convenit. Ex hac causa oriri, verisimilius est, ut quotidie videmus statutis somni temporibus, et in intermittentium accessionibus. Sed, quæcunque causa sit, operæ pretium est animadvertere vespertinam pulsum celeritatem, quæ non solùm in sanis quotidie accidit, sed etiam in omnibus morbis, quæ febrem habent.

xxxix. Arte-

xxxix. Arteriarum, denique, motus accelerant, calor corporis, præter naturalem, auctus; aër vitiatus et impurus cubiculorum, aliorumque quorumlibet locorum, quæ salubrem non habent perflatum; stimulantia in stomachum assumpta; exercitatio vehementior; excitantes animi motus; et, ne multis, omnia, quæcunque sint, quæ corpus excitant aut animum.

xl. Quoties itaque arteriæ solito crebriùs moventur, oportet observare, numne hujusmodi causis incitentur, ne morbis imputemus crebritatem, quam fortuitæ causæ efficiant.

PARTICUL. II.

De morbidis arteriarum pulsibus.

XLI. QUÒ, quæ dicturi sumus, ea ad intelligendum faciliora sint, STEDMANUM imitati, considerabimus arteriarum pulsus, quatenus oriuntur ex arteriarum amplificationibus, et motuum numero. Hanc rei nostræ partem persequendo, paucis dicemus de pulsuum magnitudine, dein de vi, tùm de crebritate, postremò de æqualitate; quippe solis varietatibus, de quibus possumus accuratè sensa mentis exprimere.

CAP.

CAP. I.

De arteriarum pulsuum magnitudine.

XLII. *PULSUS MAGNUS*—esse dicitur, ubi arteriæ se, supra modum naturalem, dilatant, dum earum motus numero naturales sunt, aut solito rariores. Hujusmodi pulsus non oritur ex nimia arteriarum plenitudine, sed magis quâdam earum imbecillitate, præ qua justo faciliùs momento cedunt, quo in ipsas à corde sanguis impellitur. Ità esse, concludimus; quòd necesse est, arteriæ imbecillæ tardiùs micent, et sanguinem distribuant, simulque vi quâvis distendente magis dilatentur, majoreque ictu explorantis digitum pulsent, quàm si validiores ipsæ essent, aut nimio sanguine distentæ.

XLIII. Hanc

XLIII. Hanc explanationem adhuc magis confirmant morbi, quos hujusmodi pulsus comitatur, quippe qui motus musculorum sedent; nempe vertigo, sopor, lethargus: qui, ut à HOMEO accipimus*, eo periculosiores sunt, quo major arteriarum pulsus.

XLIV. Contrà, haud inficiandum est, ex his morbis plerosque sæpè oriri ex plenitudine; quæ videtur antegredi arteriarum imbecillitatem, ex qua oritur pulsus magnus. Quum ità sit, hujusmodi pulsus haud rarò indicet, mittendum esse sanguinem.

XLV. *PULSUS PARVUS*—est, ubi, dato tempore, cor et arteriæ sese justo frequentiùs movent, at singulis se motibus justo minùs angustant.

D

XLVI. Utì

* Vid. FRANCISC. HOM. *Pincip. Medicin.* pag. 228.

XLVI. Utî pulsus magnus non semper ni-
miâ cordis et arteriarum plenitudine oritur,
itâ pulsus parvus non semper insolitâ inanita-
te. Nam pulsûs exiguitas comitatur aliam ar-
teriarum conditionem, quæ illâ meliùs cor-
poris valetudinem indicat.

XLVII. Arteriarum autem ictuum exilitas,
quam, hîc loci, persequimur, plerumquè pro-
ficiscitur aut ex cordis imbecillitate, præ qua,
singulis ventriculorum contractionibus justo
minus sanguinis in arterias impellitur; aut
ex parcitate sanguinis, ob quam cor et arteriæ
non satîs distenduntur.

XLVIII. Pulsum parvum alterutrisque cau-
sis oriri, idcirco concludimus; quòd in mor-
bis accidit, in quibus, velut in febre *typhode*,
vis musculorum, ubique corporis, plurimùm
minuitur; et quòd vinum et opium, atque
alia quæ stimulant, tardiorem et majorem red-
dunt. Aliorum quoque morborum commu-
nis est, qui, velut strangulatus vulvæ, et pal-
pitatio

pitatio cordis, in nervorum invaletudine consistunt.

XLIX. Pulsum parvum ex sanguinis parvitate oriri, dubitare non possumus, cùm sanguinis et alvi profluviis superveniat; itemque iis morbis, qui, sicut tabes pulmonum atque *hectica*, faciunt, ut sanguis deficiat.

L. Hujusmodi itaque pulsus semper, uti videtur, indicat musculosarum fibrarum debilitatem. Ubì accidit, sub finem morborum, qui inflammationem habent, pessimi ominis est. Inflammationi autem stomachi et intestinorum, quippe quam à principio comitetur ingens debilitas, proprium ab initio signum est.

LI. Pulsus perexiguus simulque creber, in omnibus morbis, quibus permultùm fatiscunt vires, pessimum signum est; præsertim in *typho*, in quo haud rarò est inter notas tristes, quæ ad ultima ventum esse testantur.

LII. Perexilis

LII. Perexilis arteriarum pulsus malignâ anginâ, *confluente variolâ*, et *scorbuto* laborantibus communis est ; itemque gravi *asthmate*, in quo morbo insuper frequens est et oppressus.

LIII. *PULSUS PLENUS*—est, ubi, post singulas amplificationes, arteriæ non sic angustant sese, ut transversa earum linea media fiat naturalis. Arteriæ, quibus proprium est sic pulsare, videntur amplificare se, supra naturalem modum ; quippe cùm, singulis temporibus, explorantis digitum percutiant ictu pleno, molli, et obtuso. Imbecilliolem tamen digito ictum inferunt, quàm arteriæ, quarum pulsus, quippe validior et liberior, *MAGNUS* dicitur.

LIV. Sed, in quibus mortalibus, plenus arteriarum pulsus observatur ? In fœminis, menstruâ periodo appropinquante, at in iis maximè, quæ mensium difficultati opportunæ sunt *. Hujusmodi, porrò, arteriarum pulsus

* Vid. STEDMAN. loc. citat.

sus haud infrequens est in macilentis et pallidis, qui sanguinis profluviis obnoxii sunt.

LV. Talis arteriarum pulsus potest esse, sive sanguinis motus tardus sit, sive citus; et, cùm plenitudinem indicet, potest *PLENORUM PULSUS* aptè nominari.

C A P. II.

De pulsu arteriarum valido et forti.

LVI. *VALIDUS*.—Ubì cor et arteriæ, dato tempore, frequentiùs micant, eorumque ambitus singulis contractionibus axem solito propiùs accedit, singulisque amplificationibus ab axe longiùs recedit; arteriæ explorantium digito ictum impingunt, qui, ex vis similitudine, *VALIDUS* appellatur.

LVII. Eorum,

LVII. Eorum, qui firmâ corporis valetudine et constitutione gaudent, quive labore vitam tolerant, arteriarum pulsus naturâ firmi et validi sunt. In ejusmodi itaque mortalibus, arteriæ aptæ sunt, quæ justo validiùs moveantur.

LVIII. Pulsus validus *synocham* comitatur, itemque multas inflammationes. Haud rarò prænunciat sanguinis profluvia, quæ ex arteriis incitatoribus proveniunt, præcipuè ex iis narium et pulmonum. Eos itidem sudores antegreditur, quibus solvuntur intermittentes febres, et remittentes.

LIX. Talis arteriarum pulsus ostendit, vasa, quorum motibus distribuitur sanguis, plurimum incitari; monetque, necessarium esse, materiam, præsertim sanguinem, demere ex corpore.

LX. *DEBILIS* — nominatur pulsus arteriarum, quæ se justo parciùs dilatant, motibus
bus

bus numero naturalibus, aut solito rarioribus.

LXI. Haud negandum est, debilem arteriarum pulsum plerumquè simul perparvum esse et crebrum. Sed verum quoque est, perimbecillum nonnunquàm pulsum esse, neque tamen frequentem. Sat itaque est, quamobrèm debilitatem pulsûs varietatem habeamus. Medicus, clarus in primis, inter notas, quibus insignitur temperamentum *phlegmaticum*, enumeravit pulsum tardum, debilem, vasa sanguinem vehentia parva*.

LXII. Arteriarum pulsuum debilitas, seu imbecillitas, magnâ nonnunquàm frigoris vi efficitur; quâ, modò diutina sit, cor et arteriæ haud rarò conquiescunt, et miser morte sopitur. Languorem comitatur, qui antegreditur horrorem accessionis febris intermittentis †. In morbis stomachi, sive primariis
sive

* Vid. GREGOR, *Conspect. Medicin. Theoret.* § 919.

† Vid. CULLEN. *First Lines*, § XII.

sive secundariis, sæpiùs occurrit, quàm in morbis aliarum partium. Hinc stomachum graviter percussum insequitur*. Plerumquè vomitionem comitatur, fortassè ob nauseam, quam movent vomitoria; præcipuè autem eam vomitionem, quam ciet nimia *digitalis* copia.

LXIII. Quinetiam, pulsus debilis virginum communis est, quarum pubescentium menses non proveniunt; propterea, ut putat DARVINUS, quòd, præ globulorum rubrorum paucitate, sanguis per arterias minore impetu distribuitur †. Imbecillitèr quoque micant arteriæ phrenitide, animo demisso, animæ defectu ‡, et, ut ab ARETÆO accipimus, elephantiasi §.

LXIV. Inopia

* Vid. DARVIN. *Zoonom.* Sect. XXIV. § 17.

† Vid. DARVIN. *Zoonom.* Sect. XXXII. § 5.

‡ Vid. FRANCISC. HOM. *Princip. Medicin.* p. 113.

§ Vid. MOFFAT. *Translation of ARETÆ.* p. 69.

LXIV. Inopia igitur sanguinis, aut malus habitus, itemque cerebri et nervorum torpor, quippe cùm vim cordis et arteriarum minuant, semper pulsum debilem reddunt. Hujusmodi debilitas itaque, quippe quæ magnam debilitatem indicet totius corporis, ostendit, quoties in morbis occurrit, ægrum in haud levi discrimine versari.

LXV. *PULSUS DURUS*.—Arteriæ, quæ explorantis digitum perindè ferit, ut majusculus nervus musicus, pulsus *DURUS* appellatur à medicis. “Durus pulsus,” inquit HOFFMANNUS, qui primus omnium percepit, quantum conduceret ad cognoscendam naturam humani corporis, morborumque qui hoc adorianantur, animum non solùm ad arteriarum pulsus advertere, sed etiam ad effectum, quem in pulsus ipsos nervi exercent, “dolorum, spasmodicorum, convulsionum, ut plurimum testis est, propter fibras cordis et arteriarum spasmodicè constrictas*.”

E

LXVI. De

* HOFFMANN. *De Pulsuum natura, &c.* § 17.

LXVI. De pulsûs duri causa, omnes ferè medici et *physiologi*, mirabile dictu, structurâ arteriarum et naturâ cognitis, cum HOFFMANNO consentiunt.

LXVII. Sed, quamvis omnes ferè medici conveniant, de causa duri pulsûs, tamen neutiquàm consentiunt, quemadmodùm causa pulsum durum efficiat. Putat HUNTERUS, sensum, quo explorantis digitum durus pulsus afficiat, oriri ex arteriis se præruptè dilatantibus, ob musculosæ earum tunicæ spasmum *. Opinatur, contrà, FORDICIUS, arteriam, etiam ubi se contrahere incipit, explorantis digito tactu duram sentiri †. Sed, de tantula re controversiam movere, parùm interest, dummodò ipsa pulsûs duritia possit percipi.

LXVIII. Pulsus

* Vid. JOANN. HUNTER. *Treatise on the Blood*, chap. iii. 7.

† Vid. FORDIC. *Dissertation on Simple Fever*, pag. 73.

LXVIII. Pulsus durus sæpè facilè persentitur, præcipuè in vehemente lateris dolore, et artuum inflammatione. Aliàs difficillimè dignoscitur à pulsu valido et pleno.

LXIX. Pulsus arteriarum durus haud rarò, ut à FORDICIO accipimus, perperàm habetur ab explorantibus medicis, pro alio, quem *OBSTRUCTUM* nominat. Solo usu et experièntiâ medici possunt discere sensus dignoscere, quibus explorantium digitos hi pulsus afficiunt. Possunt etiam haud malè discernere, an durus pulsus sit, an obstructus, sanguinis detractiõne. Pulsu enim duro, sanguinis missi et frigescentis *fibrina*, à cæteris partibus dissociata, superficiei supernatat, corium album simulans ; pulsu obstructo, non item.

LXX. Pulsus durus interdum simul validus et plenus est ; interdum exiguus et contractus. Illiusmodi pulsus est, in *synocha*, *phlogosi*, *pleuritide*, *acuto rheumatismo*, aliisque inflammationibus haud paucis ; hujusmodi
sæpissimè

sæpissimè observatur in *phlegmonodea* stomachi et intestinorum inflammatione.

LXXI. Pulsus durus, aliquam corporis partem inflammari, certò indicat, etiamsi cætera signa, quibus cognoscatur inflammatio, sese non manifestent. Docet igitur, materiam, præsertim sanguinem, corpore demendam esse; nisi res prohibeant, ut in *vetusto rheumatismo*, sub finem *hecticæ*, et haud rarò in *typho*: in quibus omnibus, pulsus, licèt durus, debilis tamen est, et sanguinem mittere haudquaquàm tutum.

LXXII. *MOLLIS PULSUS*.—Utì duri arteriarum ictus ex nimio musculosæ earum tunicæ vigore oriuntur; ità ictus molles, ex debilitate. Hujusmodi pulsus debili affinis est, et haud rarò simul plenus. Nonnunquàm pulsui duro supervenit; præcipuè post sanguinis profluvia, quæ ex arteriis solito incitationibus proveniunt. Plerumquè redeuntem
valetudinem

valetudinem comitatur; et in ægris indicat, morbum remittere et decedere.

LXXIII. At interdum tamen pulsus mollis adeò non securitatem et salutem pollicetur, ut maximum discrimen denunciaret; velut in *pneumonia inveterata*, in qua est simul debilis, atque cum vi tum temporibus inæqualis*. Quinetiam, quoties in accessu continuæ febris accidit, prænunciat morbum futurum gravem, et magnam futuram debilitatem †.

LXXIV. Pulsus arteriarum mollis fœminarum magis proprius est, quàm marium. Vomitione efficitur. Sæpè observatur in imbecillis corporibus. Ex quibus colligi potest, haud rarò mali futuri præsagium esse.

C A P.

* Vid. BOËRHAV. *Institut. Rei Medic.* § 962.

CULLEN. *First Lines*, § CCCXXXVI.

† Vid. FORDIC. *Third Dissertation on Fever*, Part 1. pag. 53.

CAP. III.

De arteriarum pulsuum numero.

LXXV. CONSIDERATIS arteriarum pulsuum varietatibus, quatenus ex vi oriuntur, quam explorantis digito inferunt; nunc de iis breviter dicemus, quæ ex eorum numero, temporis spatio, proficiscuntur.

LXXVI. *PULSUS FREQUENS.*—Quum morbis laborantium arteriæ pulsuum numero plùs minùs differant iis sanorum, medici, ubi ægris succurrunt, solent carpo manum admovere, et animadvertere, crebriùsne arteriæ, an rariùs, moveantur. Sed, quoniam crebritas et raritas, voces comparativæ sunt; medici, in animadvertendo, quemadmodùm ordinentur cujusque ægri arteriæ, rationem habent
motuum

motuum arteriarum ejusdem sani, vel, quod commodius est, communium motuum arteriarum plurium sanorum, qui ejusdem ætatis sunt, ejusdemque corporis valetudinis.

LXXVII. Non est nobis consilium, omnes corporis morbos atque invaletudines memorare, quibus arteriæ solito incitatiùs moveantur; sed eos tantùm morbos, in quibus plurimum medicorum intersit harum motus animadvertere, præsertim febres.

LXXVIII. Arteriarum pulsum crebritas, omnium febrium communis est; et à GALENO, BOËRHAVIO, HOFFMANNO, et plurimis enimvero medicis putatur unicum signum, quo certò cognosci possint*.

LXXIX. Tametsi, ut benè contendit FORDICIUS, difficillimum est, notam invenire, quâ febres semper certò cognoscantur; et raræ

ræ

* Vid. HOFFMANN. *De Pulsuum natura*, § 21.

ræ fuerunt *ephemeræ*, quæ mortem antè attulerunt, quàm cor et arteriæ se justo crebriùs moverunt * ; tamen in omnibus febribus, quæ non primo accessu ægrum rapiunt, arteriæ pòst paulò motus accelerant, neque celeritatem priùs remittunt, quàm remiserunt febres.

LXXX. Sed, quanta arteriarum motuum, supra naturalem, frequentia febrem constituat, nondùm inter medicos convenit. Arteriarum, sexagesimâ horæ parte, unus et viginti motus, supra naturales, à nonnullis medicorum putantur febris accessum indicare. Sed, uti alia aliis sanis arteriarum motuum frequentia est, sic alia aliis febrientibus. Cùm ità sit, vis febris, quâ quisque laboret, non simpliciter æstimanda est, ex numero pulsuum arteriarum sexagesimâ horæ parte ; sed comparatè, ex numero, quo, eodem tempore, pulsus febrientis excedunt naturales ejusdem sani.

LXXXI. Quanquam

* Vid. FORDIC. *Dissertation on Simple Fever*, p. 70.

LXXXI. Quanquam autem, quò certò cognoscant medici, an febrem, necne, indicent ægrotantis arteriarum motus, necessarium est scire, quoties ejusdem sani arteriæ, sexagesimâ horæ parte, se moveant; ut primùm FLOYERUS observavit *, dein confectis tabulis illustravit FALCONERUS †: tamen, cùm medicis non detur occasio sciendi, quoties cujusque sani arteriæ, temporis spatio, micent, coguntur plerumquè judicare, an febriat ægrotus, explorando, quanto frequentiùs ejus arteriæ pulsent, quàm eæ plerorumque sanorum; quarum motus septuaginta quinque, sexagesimâ horæ parte, compererunt medici.

LXXXII. Quum itaque, adultâ ætate, arteriæ plerorumque mortalium, medio motuum numero assumpto, se, sexagesimâ horæ parte,

F

septuagies

* Vid. FLOYER. *Præfat. Vol. I. of his Pulse Watch.*

† Vid. FALCONER. *Observations on the Pulse.*

septuagies quinquies moveant ; rectè forsitan concludamus, eum febrere, cujus arteriæ, eodem tempore, nonagies sexies micent, et adhuc magis eum, cujus arteriæ crebriùs agitentur.

LXXXIII. In febre simplice, quæ octo decemve horis finitur, arteriarum ictus, sexagesimâ horæ parte, rarò centum minus sunt, interdum centum haud minus et quadraginta *. Primâ accessione intermittentis, sæpè centum et viginti aut centum et triginta : at, inter primas viginti quatuor horas continuæ febris, rarò minus nonaginta sex, aut centum amplius et quinque †.

LXXXIV. Cujus, dum sanus, arteriæ septuagies quinquies, sexagesimâ horæ parte, pulsant, is, in febre continua, in periculo versari putatur,

* Vid. FORDIC. *Dissertation on Simple Fever*, p. 69.

† Vid. FORDIC. *Third Dissertation on Fever*, Part. 1. pag. 52.

putatur, ubi, eodem temporis spatio, micant centies et vicies : et in summum discrimen adduci, ubi centies et tricies ; quia tum, quæ sanè pessima, signa putrescentium humorum se manifestant, et, ex debilitate et sensuum tarditate, mens alienatur.

LXXXV. Incipiente seu obrepente *hectica*, arteriarum motus, sexagesimâ horæ parte, naturales sani hominis decem pluribusve numero semper excedunt ; et multo sanè pluribus, pomeridiano et vespertino temporibus. Hac febre tabentes, quod sanè mirum, nonnunquam propriis pedibus ambulant, et ea, quæ solebant sani, gerunt et faciunt, ubi, sexagesimâ horæ parte, arteriæ centies et vicies micant.

LXXXVI. Dum magnæ internarum partium inflammationes suppurant, arteriæ haud rarò, sexagesimâ horæ parte, pulsant centies et tricies. In *synocha*, eodem tempore, micant plerumquè centies et vicies. Ubi, in hac febre,

bre, crebriùs moventur, plerumquè haud multùm abest delirium. In iis tamen morbis, quibus cutis papulis efflorescit, quosque hæc febris comitatur, tempore, quo arteriæ materiam in cute deponere incipiunt, arteriarum motus aliquandò multo crebriores sunt, sine periculo*.

LXXXVII. Qui pulmonum inflammatione laborant, quæ acutum dolorem non movet, eorum arteriæ plerumquè centies ferè et duodecies, sexagesimâ horæ parte, moventur. Sub finem *hydrocephali phrenitici*, arteriarum pulsus nonnunquàm crebriores sunt, quàm quos possint medici numerare. In gravi *asthmatis* accessione, arteriarum, sexagesimâ quâque horæ parte, ictus centum et viginti periculum denunciant †: in *acuto rheumatismo* tot ictus arteriarum, eodem temporis spatio, sæpè numerantur, neque tamen in periculo æger versatur.

LXXXVIII. Etsi

* Vid. HEBERDEN. Op. sup. citat.

† Vid. HEBERDEN. Op. suprâ citat.

LXXXVIII. Etsi oportet medicos morbis laborantium arteriarum motus attento animo explorare, neutiquàm tamen his omnia credere debent; cùm præsertim tot sint, et hæc quidem in aliis alia, quibus turbentur, et spem mentiantur aut metum.

LXXXIX. *PULSUS RARUS*—haud rarò, vel in sanis, est, suprâ quàm solet in plerisque mortalium eâdem ætate et corporis valetudine; neque tamen raritatis causa apparet medicis. Unius quidem mortalis, cujus, dum vivus et validus, arteriæ, sexagesimâ quâque horæ parte, non amplius trigesies micabant*, HALLERUS, cadavere inciso, sinistram cordis auriculam ampliorem, quàm pro dextra, conspiciatus est; et hinc concludit, cordis magnitudinis aut naturæ pravitates, posse facere, ut arteriæ tardè micent in cæteroquìn sano, præquàm in sanis plerumquè solent †.

xc. Utcunque

* Vid. HEBERDEN. Op. suprâ citat.

† Vid. HALLER. *Element. Physiolog.* lib. vi. Sect. ii. § 15.

xc. Utcunque verò hoc sit, aliæ sunt causæ meliùs cognitæ, quibus arteriarum motus tardentur. Hujusmodi sunt, magna vis frigoris, cui diù exponitur corpus, et quæ vitam haud rarò exstinguit soporando cor et arterias: nimius et incautus *digitalis* usus: lecti suspensi motus, quo, ut à SMYTHIO accipimus, *hecticorum* arteriæ, sexagesimâ horæ parte, viginti motus seu ictus remittunt*; quam remissionem vertigini, insolito motu ortæ, imputat DARVINUS.

xci. Quoties, in febribus et aliis morbis violentis, arteriarum pulsus rariores fiunt, simulque alia fausta apparent, est, quòd medici credant, morbum inclinare. Periculum, contrà, neque id quidem parvum, denunciatur, ubi subitò tardescunt arteriarum motus, et cætera simul mala aggravescent; quippe cùm hæc signa cerebrum plurimùm fatiscere indicent. Eâdem causâ pulsus tardus est in *apoplexia*.

xcii. PULSUS

* Vid. SMYTH. *Account of the effects of swinging in Pulmonary Consumption.*

XCII. *PULSUS CELER*—à nonnullis putatur idem esse, atque pulsus frequens; dum ab aliis existimatur diversus, quamvis his verbis promiscuè utantur. Nostrâ verò opinione, sat est, quare hos pulsus diversos habeant medici. Namque pulsus celer est ratione temporis, quod singulus arteriæ motus implet; frequens autem ratione numeri motuum, quos, temporis spatio, arteria peragit.

XCIII. Quo differant inter se pulsus celer et pulsus frequens, adeò luculentè exposuit *DARVINUS*, ut, hìc loci, ejus verba ponam*.

XCIV. Arteriæ

* “ We must not,” inquit, “ confound frequency
 “ of repetition with quickness of motion, or the
 “ number of pulsations with the velocity, with
 “ which the fibres, which constitute the coats of the
 “ arteries, contract themselves. For, when the fre-
 “ quency of the pulsations is but seventy-five in a
 “ minute, as in health, the contracting fibres, which
 “ constitute the sides of the arteries, may move
 “ through a greater space in a given time, than
 “ when

xciv. Arteriæ itaque, ex exiguitate temporis, quo singulis vicibus sese angustant, pro ea temporis, quo singulis vicissim vicibus

sese

“ when the frequency of pulsation is one hundred
 “ and fifty in a minute, as in fevers with great debility. For, if in those fevers the arteries do
 “ not expand themselves in their diastole to more
 “ than half the usual diameter of their diastole
 “ in health, the fibres, which constitute their coats,
 “ will move through a less space in a minute, than
 “ in health, though they make two pulsations for
 “ one.

“ Suppose the diameter of the artery, during
 “ its systole, to be one line, and that the diameter
 “ of the same artery, during its diastole, is, in
 “ health, four lines, and, in a fever with great debility, only two lines ; It follows, that the arterial
 “ fibres contract, in health, from a circle of twelve
 “ lines in circumference, to a circle of three lines
 “ in circumference ; that is, they move through a
 “ space nine lines in length : while the arterial fibres,
 “ in fever with debility, would twice contract from
 “ a circle of six lines, to a circle of three lines ;
 “ that is, while they move through a space equal to
 “ six lines. Hence, though the frequency of the
 “ pulsation, in fever, be greater, as two to one ; yet
 “ the

sese amplificant, in nonnullis morbis qui inflammationem habent, explorantis digitum raptim

“ the velocity of contraction, in health, is greater,
“ as nine to six, or as three to two.”

“ On the contrary, in inflammatory diseases with
“ strength, as in pleurisy, the velocity of the contracting sides of the arteries is much greater than
“ in health. For, if we suppose the number of
“ pulsations, in a pleurisy, to be half as much more
“ than in health, that is, as one hundred and twenty
“ to eighty, (which is about what generally happens
“ in inflammatory diseases); and if the diameter of
“ the artery, in diastole, be one-third greater than
“ in health, which I believe is near the truth: the
“ result will be, that the velocity of the contractile
“ sides of the arteries will be, in pleurisy, as two
“ and a half to one, compared to the velocity of
“ their contraction in a state of health. For, if the
“ circumference of the systole of the artery be three
“ lines, and the diastole, in health, be twelve lines
“ in circumference, and in a pleurisy eighteen lines;
“ and, secondly, if the artery pulsates thrice, in the
“ diseased state, for twice, in the healthy one: it
“ follows, that the velocity of contraction, in the
“ diseased state, to that in the healthy state, will be
“ forty-five to eighteen, or as two and a half to
“ one.”—Vid. DARVIN. *Zoonom.* Sect. xii. 1.

raptim et celeriter percutere videntur. Sed, quoniam hæc celeritas plerumquè indicat eadem facienda esse aut vitanda, quæ indicat duritia, cui enimvero affinis est, quamque suprà fusè persecuti sumus, non opus videtur, ut, hìc loci, plura de ea dicamus.

CAP. IV.

De arteriarum pulsuum perturbationibus.

xcv. DE arteriarum ictuum perturbationibus luculenter et dispositè dicere, imprimis difficile est. Quum ità sit, hìc loci, de iis tantùm pauca dicemus, quæ, uti cognitu utilissimæ sunt, ità exploratu, intellectu et descriptu facillimæ.

xcvi. PULSUS

xcvi. *PULSUS INÆQUALIS*.—Pulsus arteriarum multis modis enormis seu inæqualis esse potest; et complures, profectò, inæqualitates ab auctoribus memorantur. Ubì videlicet arteriæ, inter se amplificandas, explorantis digitum bis percutiunt, pulsus *BISILIENS* seu *DICROTOS* dicitur, et putatur prænunciare sanguinis profluvium. *INCIDUUS* autem appellatur, ubì tres quatuorve amplificationes continuæ non cæteras modò amplificationes, sed alia quoque deinceps aliam, vi excedunt. Hujusmodi pulsum auctores quidam credunt antegredi sudores, quibus morbi solvantur*.

xcvii. Omnes verò inæqualitates pulsuum arteriarum subtiliter exsequi, quas memorârunt auctores, uti difficillimum esset, ita parùm utile. Interdum tamen multùm interest medicorum, ad has inæqualitates animum advertere. Namque haud rarò pulsus enormis indicat, aut cor ipsum, aut arterias ex eo ductas,

* Vid. NIHELL. *On the Pulse*, pag. 1. et 8.

ductas, in os converti, aut alioquin se malè habere. Cordis, porrò, inflammationem semper comitatur hujusmodi arteriarum pulsus. In *asthmate*, morbo comitiali, in protractis diù febris, et inflammationibus præsertim pulmonum et animæ fistulæ, magnum periculum ostendit.

xcviii. Fœminarum lactantium, infantum, itemque provectorum ætate, arteriarum motus facillimè turbantur. Nonnullis, ab incubulis per totam vitam, velut ADDISONI celeberrimo *, inæqualis pulsus arteriarum naturalis est.

xcix. *INTERMITTENS PULSUS.* — Quid indicet eventurum hic pulsus, inter auctores discrepat. Signis imminentis mortis annumerat GALENUS †. Alii et recentiores contendunt,

* Vid. TICKEL. *Life of ADDISON.*

† Vid. GALEN. *De Præ sag. et Pulsibus.*

dunt, sæpè saltem nihil mali portendere. Memorat PROSPER ALPINUS, morbum, in quo arteriæ motus admodùm intermitterent, simulque urgerent alia mala infausta, post urinam crassam et pituitosam decessisse*.

c. Hujusmodi pulsus haud rarò oritur ex verminatione, aliisque intestinorum malis; ex cordis fabricæ pravitatibus; ex hydrope *pericardii*; ex *hydrothorace*, cæterisque causis, quæ liberum sanguinis per pulmones transitum impediunt.

ci. Si pulsus intermittens maturè accidit in febre, et nulla dum urgent signa futuri mali prænuncia, SOLANUS, cui accedunt NIHELIIUS aliique scriptores, censet prænunciare, morbum propè esse, ut alvi profluvio discutiatur †. HEBERDENUS putat, arterias levissimis causis motus intermittere, et intermissionem,
per

* Vid. PROSPER. ALPIN. *De Præsag. Vit. et Mort.* Lib. iv. cap. iv.

† Vid. NIHEL. *On the Pulse.*

per se, rarò periculum præ sagire *. Quinetiam, certiores nos facit, se bis novisse arterias, quæ, prosperâ valetudine, temporibus inæquales essent, morbo fieri æquales, et, refectâ valetudine, intermittere iterùm. Opinatur FORDICIUS, arterias, accessu febris simplicis, pulsus intermittere, pessimum esse, et mali ominis.

“Who shall decide, when Doctors disagree?”

CII. Quantumcunquè de pulsu intermittente, inter se, discrepent auctores, satis tamen supèrque constat, plerumquè sub finem lethaliùm morborum signum esse; et, ubi, in morbis violentis, unà cum aliis signis mali ominis accidat, ostendere, vires plurimùm fatiscere, et miserum haud multùm abesse, quin fato concedat.

C O N-

* Vid. HEBERDEN. Opusc. citat.

C O N C L U S I O.

ciii. REM propositam, [pro tempore, et ingenii tenuitate, absolvi; iis de arteriarum pulsu collectis et dispositis, quæ observatu et cognitu utilissima videbantur.

civ. Rem verò persequendo, non omnes tractavi arteriarum ictuum seu pulsum varietates, quas proposuerunt nonnulli auctores; sed duntaxat eas, quas notatu dignas putârunt plerique medicorum, quamvis, de iis, verbis non satîs appositis dixerint.

cv. Arteriarum pulsum varietates, quas persecutus sum, laboravi, quàm maximè potui, lucidè explicare. Verùm non solùm tamen scio, meum opus multo minùs absolutum esse,

esse, quàm pro meis votis et rei magnitudine; sed etiam admodùm vereor, ut varietates, quas conatus sim exponere, verbis satìs accuratis descripserim; eoque magis, quòd disserui de quibusdam varietatibus separatim, quarum duæ, imò haud scio annon etiam plures, nonnunquàm unà simulque existant.

F I N I S.